


DECRETA, ET HORTATIONES

A REVERENDISSIMIS VISITATORIBVS APOSTOLICIS

REVERENDISSIMIS PATRIARCHIS QVI PRO TEMPORE VRBI VENETAE PRAEFVERINT

Et Clero Venetiarum in vniuersum relictæ, præter illas, quę in visitatione singularum ecclesiarum sunt factæ.



VERONAE, Apud Sebastianum, & Ioannem Fratres à Donnis.
M. D. LXXXI.


ADORATIO
CHRISTI

DECRETA, ET HORTATIONES

A REVERENDISS. VISITATORIBVS APOSTOLICIS

REVERENDISSIMIS PATRIARCHIS QVI PRO TEMPORE VRBI VENETAE præfuerint

Et Clero Venetiarum in vniuersum relictæ, præter illas, quæ in visitatione singularum ecclesiarum sunt factæ.



DE IIS, QVAE AD REVERENDISS. Patriarchas pertinent.

REVERENDISSIMVM PATRIARCHAM Ioannem Triuisanum non magnopere laudare non possumus, non commendare eius pietatem, eiusq; zelum honoris DEI, cum in patriarchali suo grauissimo munere obeundo nullos labores subterfugiat, multaq; diligentiæ, &

charitatis in gregem suum exempla dederit: pauca tamen quædam decreta, siue hortationes Reuerendissimæ Dominationi suæ minime necessarias, successuris aliquando Patriarchis fortasse vtiles pro nostro Apostolicæ visitationis officio edendas statuimus. hæ autem sunt.

REVERENDISSIMI Patriarchæ, qui pro tempore Venetæ vrbi præfuerint, vt numerosissimo nobilissimoq; gregi pastores à Domino electi vrbē pręstantissimæ Reipub. sedem, veræ religionis cultricem, & sanctæ sedis Apostolicæ Romanæ adiutricē perpetuam, crebris visitationibus suis, & administratione Sancti Sacramenti Eucharistiæ per parochias sermonibus etiam suis paternis consolentur.

SYNODVM diœcesanam singulis annis conuocare non desinant, in quam parochi, & Sacerdotes omnes conueniant, & veluti spirituales medici spirituales vrbis ægritudines proponant, remedia in medium afferant, constitutiones ad inducendam pietatem, & ad recte informandum clerum fiant, & si superioribus Synodis promulgatæ fuerint, ad earum obseruationem Sacerdotes excitentur.

IN conferendis sacris ordinibus diligentia maxima

xima vtantur in confirmandis illis, quos parochiani ad parochias nominauerint magnā cautionem adhibeant, illos minime confirment, nisi ab examinatoribus approbatos, quemadmodum sanctum præscribit Trident. Conc.

CONSTITVANT Reuerendissimi Ordinarij duodecim Vicarios, siue parochialium ecclesiarum Visitatores per sex tribus, qui perpetuo ecclesias visitent, & quicquid obseruauerint, illis referant, illosq; poterunt è numero parochorum etiam Venetorum deligere viros ætate, & doctrina inter alios Præstantes.

DELIGANT sibi locum aliquem in media vrbis parte, siue apud sanctum Bartholomæum, siue in monasterio Saluatori dicato, vbi duobus saltem diebus in hebdomada viros spirituales, & quoscumque alios ipsos patriarchas alloqui cupientes admittant, illos vt consolentur, ex eorum conscientijs scrupulos, quibus interdum affliguntur, adimant, & paternam erga omnium generum homines ea ratione charitatem exhibeant.

VOCARI iubeant interdum ad se illos, qui confraternitatibus Sanctissimi Corporis Domini nostri IESV CHRISTI, & alijs cuiuscūque nominis præsunt, illosq; hortentur ad fre

quentiam Sanctiſsimorum Sacramentorum, ad mutuum amorem, ad humilitatem, & ad pia opera exercenda, præſertim ad Chriſtianam doctrinam docendam.

CHRISTIANAE doctrinę ſcholas, quas gymnaſiola ſpiritus Sancti recte nominauerimus, Reuerendiſsimi Patriarchæ ſæpiſsimæ viſitandas curent, illarum numerum augeant, religioſis viris, qui in hac prę̄ſtantiſsima vrbe non deſunt, opus DEI commendent. Piorum hominum ſocietates, quas Oratoria vocant viſitent, per aliosque per ſe etiam ad pium hoc opus, quod DEO eſt acceptiſsimum inuitent.

INDVLGENTIAS aliquot ante annos conceſſas diligenter conſiderandas curent, ſtudeantq; ne inde turpe captetur lucrum contra Sacroſancti Tridentini Concilij decretum.

SANCTORVM, & Sanctarum, qui in cœlis habitat, & pro nobis in hac lachrymarum valle degentibus orant, reliquias, quarum venerationem poſt verbum DEI, (vt Sanct. ſcribit Chryſoſtomus) mirum in modū piæ mentes ad veram pietatem excitātur, iuſsimus honeſto, & decenti loco condendas. Quare Reuerendiſsimi Patriarchæ ordinationes noſtras

curent

curent ſeruandas, omniumque reliquiarum, quibus ſingulari DEI beneficio inclyta, & catholica hæc ciuitas abundat, memoriam in archiuio quodam in patriarchalib. ædibus cuſtodiendam curent.

REDITVVM omnium parochialium eccleſiarum, & non parochialium etiam ſi quę ſunt, memoriam ad iura eccleſiaſtica conſeruanda in eodem archiuio collocent.

NON permittãt Reuerendiſsimi Patriarchæ Vicarium ſuum, nec quemquam ſuorum à quouis hominum genere munera accipere, cũ Clerici, Sacerdotes, Moniales etiam muneribus varijs ſibi condonaturos Prælatos multã ad eccleſiaſticam diſciplinam minuendã, aut etiam eneruandam ſibi polliceantur.

CVM duplici cultu principi, & auctori bonarũ rerum omnium DEO honor exhibeatur, nimirum interiore, qui fide, ſpe, & charitate exhibetur, & exteriore, qui in ceremonijs eſt conſtitutus, Reuerendiſsimi Patriarchæ Magiſtrum ceremoniarũ in cathedrali eccleſia conſtituant, qui ceremonias à Sancta Romana eccleſia inſtitutas norit, curet adhibendas, illas etiam doceat.

CVM plurimos Sacerdotes non ſolum ex ijs,

qui ex alijs diœceſibus in hanc vrbẽ confluunt, ſed ex illis ẽt, qui Venetijs, ſunt orti, & numquã ex hac vrbe diſceſſerunt, ceremonias ignorare compertum ſit, Reuerendiſsimi Patriarchæ è clero ſuo quatuor deligant, qui Sacerdotes celebrantes audiant, obſeruent, illosq; corrigant. Quod ſi debitas ceremonias nõ adhibuerint, & barbariſmis plurimis audiẽtium animos offenderint, a miſſæ celebratione ſuſpendantur, nullusq; Plebanus in ſuam eccleſiam Sacerdotem admittat ad celebrandum, niſi Ordinarij, aut Vicarij facultatem oſtenderit, & niſi ſe approbatum fuiſſe ad celebrationem miſſæ ſubſcriptione illorum, quibus hoc munus iniunctum fuerat fidem ſecerit. Hanc autem facultatem præcipue requirendam eſſe volumus ab ijs, qui primã miſſam celebrare voluerint, quos ad celebrationẽ accedere prohibemus, niſi prius ceremonias recte nouerint.

CVM ad eccleſiaſticam diſciplinam retinendã & ad ſcandala, quibus piorum animi offendun tur, remouenda, honeſta cohabitatio magnam vim habeat; iubeant Reuerendiſsimi Ordinarij ſæpe à Vicario ſuo generali, ſiue ab electis ab eis viſitatoribus parochorum, & Sacerdotum domos ex improuiſo viſitari, prohibitũq; ſit paro-

ſit parochis & Sacerdotibus mulierem quampiam ſibi ancillam ſumere, niſi iudicatam minime ſuſpectam incontinentiæ ab eiſdem Reuerendiſsimis Ordinarijs, ſeu eorum Vicarijs, aut ab eiſdem Viſitatoribus.

REVERENDISSIMI Patriarchæ curent taxam Cancellarij, & notariorum ſuorum redigere ad formam præſcriptam à Sacroſancto Conc. Trident. ad tollendas multorũ querelas.

STVDEANT vt Canonici horas canonicas perſoluant horis, & loco conſtitutis, ſilentium ſeruent in choro, literas non legant, decorum ſeruent, & cum ijdem Canonici non ignorent regem regum, & dominum dominantiũ IESVM CHRISTVM cum legionibus Angelorum eo in loco aſsiſtere, mẽtem ſuam eleuent in cœlum, laudent Dominum ore, & operibus, angelicum chorum in hac militanti eccleſia referentes angelicam puritatem perpetua caſtimonia imitentur.

PROHIBEANT omnino Reuerendiſsimi Patriarchæ ne in eccleſijs ſibi ſubiectis quo tempore diuina celebrãtur officia pauperes cuiuſcumq; generis exceptis ijs, qui pro locis pijs eleemoſinam petunt, mendicare; illos tamen ad valuas eccleſiæ manere permittant.

De ijs,

De iis, quæ pertinent ad Parochos.

CVM decorum ecclesiasticum non solum à virtutibus proficiscatur, sed etiam in vestitu, & incesu dignoscatur, parochi, & Sacerdotes omnes, Diaconi, Subdiaconi, omnes itidem Clerici, qui in hac vrbe degunt. moderationem in vestitu adhibeāt, à vestibus coloris rubei, albi, & violacei omnino abstineant, ne in vanitatis, & superbię suspicionem incidāt. Vt enim distincti sunt dignitatum gradus, ita diuersorum colorum vestes diuersis statibus conueniunt, & nisi etiam ordo in vestibus seruetur, plurima oriuntur scandala. Qui huic constitutioni non paruerint puniantur arbitrio Reuerendissimorū Patriarcharū.

CVM Clerici omnium generum in sortem Domini vocati præcipuo, & eccellenti quodā modo cœli, & terræ Domino DEO seruiant, vt a cæteris Christianis dignoscantur maxime conuenit. Quamobrem præter tonsurā quam vnusquisq; in capite gestare debet, biretum etiam

etiam in formam crucis gestent, vt se Sacerdotes, ministros DEI, nuntios CHRISTI, sanctissimæq; eius crucis prædicatores verbo, & exemplo ostendant. Quod si qui viri senio confecti, & qui longo tempore animarum curam habuerint, sintq; vniuersæ ciuitati probe noti id moleste tulerint (quod putare minime deberent) cōcessum sit illis illud gestare biretum, quod ad hanc vsq; ætatem gestauerint. Ad remouēdas autem omnes perturbationes, quæ ex hac bireti mutatione oriri possent, decernitur, vt nullus clericus possit ad aliquem sacrorum ordinum ascendere, nisi biretum in formam crucis, quod sancta Romana sedes sacrorum dogmatum, & constitutionum optimarum magistra probat, deferat. Qua in re si quis Reuerendissimos Patriarchas deceperit, sit statim priuatus eo titulo ad quem ascenderat, & alia etiam pœna ad arbitrium eorūdem Reuerēdissimorum Patriarcharum puniatur. Quod decretum consulto Sanctissimo D. N. Gregorio XIII. vt ex literis Illustrissimi Cardinalis Comensis constat, promulgamus.

CVM sæpe acciderit ob vestium formam minime diuersam ab ea, qua vtuntur Senatores, Medici, & Sacerdotes, vt ijdem Sacerdotes a cæ-

teris minime dignoſcantur, & iccirco debitus illis honor non exhibeatur, laiciq; hanc ob cauſam in ſuſpicionem inciderint proniores eſſe ad peccandum, cum illos Sacerdotes, aut clericos eſſe plurimi neſciant; veſtes clericis, & Sacerdotibus accommodatas induant manicis minime laxis, non geſtent anulos niſi doctoratus dignitate ſint præditi, & niſi ſint canonici, aut plebani.

CVM Sanctus Apoſtolus Paulus illis verbis: Et ſi decẽ millia pædagogorũ habeatis in CHRISTO non tamen multos patres; magnam indicet eſſe vim paterni ſermonis; monemus parochos præſtantiſsimæ huius vrbis, obſecramusq; per viſcera Domini Noſtri IESV CHRISTI, vt inter miſſarum ſolemnia paruulis frangãt panem, pauperculis hominibus, & mulierculis, quæ ad concionatores audiendos nõ poſſunt accedere, ſanctum Euangeliũ, aut Epiſtolam, vel ſaltem Euangelij partem, aut Epiſtolæ, ſiue Sacroſanctæ Miſſę Introitum explicent, gloriam, & pœnam, virtutes & vitia, vt Sanctus monebat Franciſcus, cum breuitate ſermonis doceant, minime ſe excuſent, nec prauam tacendi cõſuetudinem cauſentur; Sciantq; linguas infantium diſertas facere Do

minum; & recordentur illa prophetæ verba. Væ mihi quoniam tacui.

CVM in parochijs Sacerdotes dati sint parochis in partem illius solicitudinis, vt eorum opera ad lucrandas animas CHRISTO adiuuentur, & sint aliqui qui extra parochias habitent, indeq; accidat, vt parochis operã suam interdum cum necesse est non exhibeant: hac constitutione decernitur, vt presbyteri in propria parochia, in domibus ecclesiæ habitent: quod si duorum mensium spacio huic decreto parere neglexerint Reuerendissimi Ordinarij arbitrio puniantur.

CVM Venetus clerus in nouem Sacerdotum congregationes, in quas parochi ecclesiarum, & presbyteri titulati admittũtur, sit distinctus, cumq; hac varietate Veneta Patriarchalis ecclesia circundata magnopere illustretur, dum in publicis supplicationibus, quas processiones nominant, cõgregationum fratres adsunt, decorum seruent, ab otiosis verbis, ne dum à turpibus, & à risu abstineant, vultu graui, demissisq; oculis sacerdotalẽ retineãt dignitatẽ.

CVRENT singuli Archipresbyteri nouẽ congregationum, de quibus mentionem fecimus, vt non congregentur tantum illis diebus, qui-

bus exc-

bus exequiæ ſunt faciendæ, ſed ter etiam in hebdomada in eadem eccleſia, vbi congregationes fieri ſolẽt, ad eccleſiaſticam diſciplinam percipiendam, ad caſus conſcientiæ examinandos, interrogent ſe mutuo, mutuo ſe doceant nobiliſsimam paſcendarum animarum artem.

MAXIME laudabilem fraternitatum morem retineãt Sacerdotes Veneti, quemadmodum plurimos iam annos receptum eſt: vt conſacerdotum ſuorum funus proſequantur, ægris ſubueniant, eorum animas ſanctiſsimis miſſarum ſacrificijs iuuent, fraternum amorem non modo erga mortuos, ſed maxime erga viuentes oſtendant, fraternam adhibeant correctionẽ, ad optimarum artium ſtudia, ad pia opera conſacerdotes excitent ſuos, illud ſæpe conſiderantes, mandaſſe Dominum vnicuiq; de proximo ſuo.

PAROCHI qui Plebani in hac vrbe nominantur magnam adhibeant curam in clericis ſuis erudiendis, patres ſe illis à Domino DEO datos ſciant, examinent illos ſæpe in primis artibus, curent vt etiam in muſicis progreſſus faciant, a laicorum conſuetudine ipſos diuellant, in functionibus ordinibus, quos ſuſceperint accommodatis illos exerceant, ad Reuerendiſsimos

rendiſsimos Patriarchas ſingulis menſibus illos ducāt, vt paternis hortationibus ad veram pietatem & ad eccleſiaſticam diſciplinam excolendam excitentur.

CVM parochis reddenda ſit ratio in tremendo illo iudicij die de ouibus, quas eorū fidei commiſit Dominus, animas ſuæ parochiæ in librū quendam redigant, obſeruentq; ſi quis fortaſſe Sanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramentum ſumere paſchatis tempore prætermiſerit, illum moneant, reprehendant deinde acriter, & ſi aliquorum dierum ſpacio eccleſiæ obtemperare recuſauerit, ad Reuerendiſsimos Patriarchas deferat.

CVM ad parochiales eccleſias petēdas, ad quas ſuffragijs parochianorum parochi nominātur, pro eliciendis ſuffragijs magna diligentia adhibeatur, multæ fiant prehenſationes, in vicis etiam clamoribus, & vociferationibus Sacerdotes ſuffragia aucupentur: Hac conſtitutione decernitur, vt qui ambitus conuictus fuerit, quiue muneribus, aut precibus ſuffragia obtinere ſtuduerit, à Reuerendiſsimis Patriarchis minime cōprobetur, quod immoderato conſequendæ parochiæ ſtudio illa parochia ſe indignum oſtenderit.

CVM

CVM nihil ita dedeceat Sacerdotem, quàm auaritia, & turpis lucri cupiditas, caueant parochi, ne pro sepeliendis mortuis pecuniam petentes turpis lucri cupidos se ostendant, in populorum inuidiam incidant, seq: indignos ministros CHRISTI, & Sacerdotes DEI prodãt; inopes sine vlla eleemosyna pie sepeliant. Quod si turpe lucrum captasse pro sepultura ab inopibus conuicti fuerint, ideoq; corpora insepulta reliquisse probatum fuerit, graui pœna a Reuerendissimo Ordinario, vel eius Vicario puniantur.

CAVEANT maxime Sacerdotes, ne temere ad Sanctissimum Sacrificium missæ accedant, debitis meditationibus, confessione etiã peccatorum suorum se præparent antequam sacrosanctum altare adeant, sibi confessores deligant, aut religiosos viros, aut vnum è presbyteris suis, quocum sæpissime conscientiam suam examinent, & purgent. Quod si quis ex improuiso interrogatus fuerit à Vicario, cuinam peccata sua confessus fuerit, & illum non indicauerit, arbitrio eiusdem Vicarij puniatur.

ID maxime vsu venire comperimus in Sacerdotibus, qui laicorum familiaritate vtũtur, quod ridiculi plerumq; fiant, verbis sæpe iniuriosis offendan-

offendantur, corũ erratã ita crebro ab eiſdem laicis diuulgentur, atq; etiam amplificentur, vt magnam exiſtimationis ſuæ iacturam faciãt. Fugiant igitur Sacerdotes laicorum familiaritatem, ſe DEI miniſtros eſſe intelligant, tempus recte diuidant, canonicis horis perſoluendis, celebrandis miſsis, audiendis confeſsionibus, & clericis ſuis ad virtutem excitandis ſe dedant, à curioſitate, à nugis, quas in ore Sacerdotum blaſphemias Sanct. nominat Bernardus, abſtineant, ſciant ſe temporis, quod male collocauerint Domino rationem reddituros. Otioſos Sacerdotes, qui ſtatis quibuſdam horis tempus in locis publicis conterunt, Reuerendiſs. Ordinarius acriter reprehendat, puniat etiam arbitrio ſuo.

CVM in ſingulis ferè parochialibus eccleſijs inclytæ huius vrbis Sacerdotũ ſint capitula, hortamur per viſcera Do. N. IESV CHRISTI presbyteros, Diaconos, ſubdiaconos, Plebanum vehementer, vt pacem colant, vt ſe inuicem tolerent, diligãt potius fraterno amore, certent officijs mutuis, ſciant Sathanam in capitulis diſcordiam ſerere, vt ſacroſancta ſacrificia, quæ DEO offeruntur minus æterno patri ſint accepta, & ſic tyrannidem ſuam

magis augeat: Sciant etiã pacificos filios DEI nominari, & mansuetos in bono malos vincentes possidere non solum hanc, sed etiam terram viuentium.

MEMINERINT sæpe parochi se omnium, qui in parochia sua degũt non solum pastores, sed etiam patres esse, ad illosq; pertinere sæpe de salute suorum parochianorum cogitare, rationẽq; reddituros, si DEVM non cognouerint, si ignorãtia christianæ religionis DEI visione priuati perpetuis cruciabuntur miserijs: Ideo deligant è clericis, vel subdiaconis, è Sacerdotibus etiam qui doctrinam Christianam constitutis horis doceant, parentesq; ad filios suos ad ecclesiam mittendos hortentur. Qua in re si paternæ suę curę defuerint acriter illos reprehendent.

CVM missæ sacrificium incredibiliter defunctis in purgatorio degentibus prosit ad acerbissimam illam pœnam minuendam, danda est parochis opera, vt missæ pro defunctis celebrentur, monendiq; sunt illi ad quos spectat, atque etiam pro munere suo si necesse fuerit in iudicium vocandi, si illud debitum soluere recusauerint: grauissime illos peccare ostendent, cũ parochiam illam tot sacrificijs defraudent, ingratos

gratos etiam esse, & iniustos in parentes suos, aut in illos, quorũ hæreditas ad eos peruenerit. Qua in re si aut timore, aut amore, seu negligentia suo muneri defuerit Parochus, à Reuerendissimo Ordinario puniatur.

ROGENTVR ab eisdem Parochis illi, ad quos spectat Sacerdotes qui Mãsionarij dicũtur, nominare, ut Sacerdotes minime regulares probitate, & cognitione literarum præstantes nominent, quorum opera ipsi possint vti ad animas CHRISTO lucrandas.

CAVEANT maxime ne religiosos, qui superioribus suis minime parent, Venetis Sacerdotibus anteponant, & singulo semestri hoc decretum illis, qui ius habent nominandi Mansionarios, aut legant, aut quid ipsis sit cautum parochi ipsi explicent.

DILIGENTIAM adhibeant ijdem Parochi in dignoscendis Sacerdotibus, qui pro Mansionarijs interdum celebrant, & sine Reuerendissimi Patriarchæ auctoritate non permittant quempiam in ecclesia sua celebrare. Qua in re si contrafecerint a Reuerendissimo Ordinario puniantur.

CVM nulla inter virtutes, quibus maxime clerici laudantur, præstãtior sit virtus, magisq; ne-

cessaria quàm deuotio, ad alẽdam eandem deuotionem singulis saltem mensibus, quemadmodum à sacrosancto Tridentino Cõcilio decretum est, Clerici cuiuscumq; parochialis ecclesiæ de manu suorum parochorum, quos Plebanos nominamus, sumant. Qua in re si ijdem Plebani officio defuerint suo ab Ordinario acriter reprehendantur; puniantur etiam eius arbitrio.

CVM Sanctissimo Eucharistię Sacramento nullus tantus exhiberi possit honor, quin sublimior debeatur, probamus maxime illorũ pietatem, qui pro collocando Sanctissimo Sacramento altaria magnifico sumptu ædificarunt, quibus illud eodem in loco seruari hac ordinatione sit permissum: decernimus tamen morem Sanctæ Sedis Apostolicæ Romanæ, & consuetudinem nobilium ecclesiarum sequentes, vt quicumq; Plebani, aut confratres Sanctissimi Sacramenti, idem Sanctissimũ Sacramentum in altare maiori collocare voluerint, hac in re piæ eorum voluntati possint satisfacere, quin potius ad hunc ipsum honorem sacratissimo corpori CHRISTI exhibendum illos in Domino hortamur.


CVM sæpe vsuueniat, vt obstetrices infantes

baptizent,

baptizent, & ijdem infantes nulla adhibita diligentia iterum à parochis baptizētur, diligenter eædem obstetrices interrogentur, num infantes baptizauerint, ne sanctissimum Sacramentum, quod iterari nequit, inconsiderate iteretur.

IN contrahendo matrimonio verba de præsenti semel tantum proferantur præsente parocho, quod si prolata fuerint in priuatis domibus ita permittente Reuerendissimo Ordinario, in ecclesia iterum minime proferantur, cum semel consensu præstito matrimonium cōtrahatur.

AD conseruandam imo potius ad augendam ecclesiasticam disciplinam singuli Plebani, omnesq; Sacerdotes cuiuscumq; parochialis ecclesiæ Reuerendissimi Patriarchæ constitutiones sæpe legant, & in suis capitulis mensibus singulis recitandas curent, non desinātq; ipsi singulos hortari ad earundem cōstitutionū obseruationem, nostraq; itidem hęc decreta seruāda studeant.



De Clericis Seminarii.

CVM Seminarium iuxta Sacrosancti Tridentini Concilij formam à Reuerendissimo Patriarcha erectum cura religiosorum hominum, quibus est creditum progressus in christiana pietate, in ecclesiastica disciplina, & in literis multos faciat, cumq; pij homines in certā spem venerint inde pios Sacerdotes, & bonos Parochos esse profecturos; ad propagādam ecclesiasticam disciplinam in omnibus parochialibus ecclesijs; hac constitutione decernitur, vt in singulis eisdē Parochialibus ecclesijs Seminarij clerici possint nominari, atq; etiam eligi, si prius huiusmodi facultatem à Reuerendissimo Patriarcha impetrauerint; cum cathedralis ecclesię filij cleri, & piorum hominum eleemosynis adiuti, passim ecclesijs omnibus exemplo, & doctrina sua debeant ocnsulere,

FINIS.


VISITATIO.

